

tur in hoc collegio hebdomadaum tres lectiones domestice, nimirum feria secunda, quarta, & sexta, præter disputationes quas antiquo vocabulo *Sabbathinales* dicimus, quæ feria quinquagesima instituntur.

XXIII. Diebus Dominicis & Festivis præter jam dicta exercitia pietatis, habetur hora octava matutina concio per unum Baccalaureum, cui Præses semper assistit, sedulo in defectus advertens, quos mox finita concione concionanti corrigendos exponit. Concionem sequitur solenne Sacrum.

Post meridiem hora secunda decantantur Vesperæ, & citæ sextam Completorium: quo finito fit concio per unum de junioribus, sive non Baccalaureis: ei quoque Præses interest, ut defectus observet & corrigat.

Diebus solennioribus, totum officium etiam matutinale solenniter decantatur, ipso Præsede officiante; omnesque non Sacerdotes sacra Synaxi sub Sacro reficiuntur.

Quin & diebus Dominicis festisque semper plures sub Sacro communicare consueverunt; adeo ut singulis saltem duabus tribusve hebdomadis plerique ad Sacram Communionem accedant; plures etiam singulis octiduis.

Insuper diebus quibus Venerabile asseratur, tota nocte duo solent per horas successivas coram eodem orare; atque per totam octavam Venerabilis diu nocteque duo ut minus semper sunt coram Venerabili superpelliceo indui orantes.

XXIV. Commestiones, potationesque pomeridianæ hic non permittuntur, nec dissimulantur; at si quis amico honoris aut benevolentie causa haustum cerevisie subinde propinare velit, hoc ei à Præsede benignè & cum discretione indulgetur.

XXV. Plerique ita sunt instituti, ut nec ad Sacros Ordines, nec Ecclesiasticas functiones, nisi Præsede præmonente & movente accedant: scientes ex crebris monitionibus, quam periculosum sit, sine legitima vocatione in ministeria Ecclesie se intrudere.

Hanc Collegiorum Academicorum disciplinam si quis attenderit; atque unâ expendat, quanto felicius & doctius doctrina Theologica in publica Universitate, quam particularibus Episcoporum Seminariis tradi soleat, non mirabitur, si doctores, aptioresque operarii & Pastores à Collegiis Academicis, quam à privatis Seminariis prodire soleant.

XXVI. Quare etiam ipsi Episcopi majoris capacitatis & spei adolescentes ad Universitates potius mittere consueverunt, quam in suis Seminariis retinere.

Synodus Namurcensis anno 1694. tit. 3. cap. 5. ait: "In dicto autem Seminario remanebunt donec studia bonarum litterarum absolverint, postea ad Universitatem studii generalis sumptibus ejusdem Seminarii mittentur illi, de quibus spes sit quod in Philosophiæ & sacrae Theologiæ studiis insignem fructum faciant, quod Ecclesie Dei utiliores esse possint."

Similiter Ernestus Episcopus & Princeps Leodiensis anno 1607. erigens Seminarium seu Collegium in hac Academia, vulgò dictum *Leodiense*, in ipsa Statutorum præfatione narrat, "necessarium esse, propter vicinorum ac passim gliscentium hæreticorum vafra subalesque Religionis Catholicæ derogationes; tum propter diversarum parochialium Ecclesiarum in oppidis præsertim ac famosiorebus Diocesis suæ locis amplitudinem, præter Seminarium in civitate Leodiensi erectum, aliud etiam in vicina Lovaniensi Academia instituire. In quo qui majoris expectationis fuerint, diligentius in studio Theologico instituantur, & hujus suæ institutionis, gradum Scholasticorum susceptione, publicum testimonium consequentur." Falsi Academici pag. 320.

XXVII. Sed ut Episcopi hac in missione prudenter procedant, primum inquirant necesse est, quæ sit Collegiorum, ad quæ suos mittere cogitant, disciplina: quis Præses, qui Directores. Notum quippe est, non esse omnium Collegiorum eandem disciplinam; hancque unice penè à Præsede

minore vel majore vigilantia & capacitate, inornque probitate dependere.

## CAPUT V.

## De Scholis puerorum.

1. Olim frequentes fuere puerorum Scholæ.
2. Synodi Belgicæ earum instaurationem urserunt.
3. Volunt impendi auxilium Magistratum, & provideri, ut gratis doceatur.
4. Propter pauperum pueros instituta Scholæ Dominicales.
5. Omnes Clerici in Parochia degentes ad juvandum Parochum invitandi.
6. Scholæ Dominicales ad quid præcipue instituta?
7. Etiam in his Scholis rudimenta litterarum tradenda.
8. Principum Edicta super institutione harum Scholarum.
9. Optandum ut diebus Dominicis & festis pauperes docerentur legere & scribere.
10. Cura habenda de Magistris Scholarum.
11. Debent hi emittere professionem fidei; & coram quos?
12. Non assumendi nisi probata vita.
13. Magistri non assumendi nisi cum approbatione Scholastica.
14. Quis habeat jus admittendi ane approbandi Magistros in locis ubi deest Scholasticus.
15. Qua attendenda circa jus assumendi Magistros.
16. Præsertim cura Scholasticis incumbit, easque visitare sæpius debent.
17. Quis esse debeat hujus visitationis scopus?
18. Quomodo Magistri se circa pueros habere debeant.
19. Scholastici specialiter invigilare debent ne pueri à Magistris aut Confodalibus corrumpantur; & ma, cui a puellis separentur.
20. Cura Scholasticis circa Scholas, Parochi curam non tollit.

**I**n Am Ecclesiastico, quàm politico Magistratu jam pridem curæ fuit, Scholas erigere in quibus à tenera ætate pueri elementa litterarum & religionis docerentur.

In Decretalibus Gregorii IX. Cap. 3. de Vita & honestate Clericorum refertur sub nomine Concilii Nannatenis: "Ut quisque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui secum canter epistolam & lectionem legat, & qui Scholas possit tenere, & monere suos Parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat."

Sub idem ferè tempus ad suos Parochos scribit S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis: "Presbyteri per villas & vicus Scholas habeant; & si quilibet fidelium suos parvos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, & docere non renuant, sed cum summa charitate eos doceant."

II. Cum his postremis temporibus ex neglectu harum Scholarum crassa in populo ignorantia, & morum corruptela ex neglecta teneræ juventutis educatione deprehenderetur, curæ fuit Episcopis, & Magistratibus etiam Civilibus, ut ubique per civitates & pagos Scholæ instituerentur ad instructionem & formationem puerorum.

Synodus P.I. Cameracensis tit. De Scholis cap. 1. ait: "Cum non minore curâ parentes proles suas instituerent, quàm nutrire, ac fovere debeant; æquum est Ecclesiam liberis, quos Christo per lavacrum regenerationis peperit, omni disciplina, ac salutaribus Præceptis erudire. Docet enim Scriptura: Filii tibi sunt, illos erudi, neque enim iusta crementa juventus ad capessendam virtutem suscipere facile potest, nisi à pueritia iis doctrinis imbuatur, quibus

bus robur capere ad pietatem, & religionem colendam possit. Quod quia pietate locis parvam parentum incuriam partim pastorum negligentiam contemptum est, excusatio timore divino multorum temeritas, audacia, & peccandi licentia crevit. Quare, ut huic malo semel occurratur, statuit Sancta Synodus: Id curent Episcopi, ut quamprimum scholæ in urbibus, oppidis, & pagis diocesium suarum, si collapsæ fuerint, restituantur, & conferantur, & augeantur.

Similiter Synodus P.I. Mechliniensis tit. De Scholis cap. 2. decrevit, "ut curent Episcopi, ut quamprimum in oppidis & pagis suarum Diocesium Parochiales Scholæ, si collapsæ sint, restituantur; si conservatae colantur & augeantur: sed præter Parochiales non admittantur multæ."

III. Rursus Synodus P. II. Mechliniensis eandem erectionem & instaurationem urget; vultque, ut ubicumque Scholæ adhuc requiruntur, "agent Archi-presbyteri cum Magistratibus & Præfectis locorum, ut ea mox erigantur, simulque rationem ineam, ipsi Ludimagistris de annuis stipendiis providendi." Tit. 20. cap. 1.

Idipsum omnes Synodi uno consensu desiderant, & vehementer urgent: optatque Synodus Namurcensis anno 1604. tit. 2. cap. 1. hujusmodi stipendium Ludimagistro assignari, "quo mediante si fieri potest, doceantur gratis; sic enim fiet ut à parentibus pueri libentius ad scholas mittantur."

IV. Quia autem "multos inopia prohibet, ne filios in scholis litterariis enutrient, quorum tamen salutis habenda est ratio, cum sint & ipsi in Christi corpore & familia," ait Synodus P. I. Cameracensis cap. 2. hæc subiiciens, "Quamobrem diebus festis, & maxime Dominicis, expleto Vespertino Officio, jubet Sancta Synodus Ludimagistros docere eadem rudimenta fidei & catechismi pro captu, & ingenio juventutis, quæ litteras non didicit. Nec non subinde per vices interrogare, ut sciatur, an proficiat, atque huic negotio tam in pagis, quam oppidis Pastores incumbant, aut Sacellani, aut Clerici, seu matricularii. Pastores, si suos mittere negligant, moneantur; moniti, nisi pareant, Magistratu deferantur. Pastores verò, aut Ludimagistri, si id contempserint, ab Episcopo corrigantur; & quantum fieri possit, in scholis puerilibus puella separentur à pueris."

Similium scholarum necessitatem, earumque institutionem passim urgent & præscribunt Synodi Belgicæ; additque Synodus P. II. Cameracensis cap. 4. "ut in his locis ubi dictæ scholæ commode institui non poterunt, Parochus ipse à prandio commodiore ante vespertinas horas, pueros campanæ pulsu convocatos, æ parvo Catechismo, qui ad hoc pro tota provincia imprimetur, prima fidei rudimenta doceat, eumque memoriter ab eis recitari faciat."

V. Desiderans autem Synodus hoc adeo piæ ac necessarium instructionis exercitium non intermitte, addit cap. 6. "Ut autem ipsi etiam Parochi succurratur, omnibus Sacerdotibus, & Clericis, qui intra fines Parochiæ degunt, præcipit hæc Sancta Synodus, ut eum in hoc sancto munere pro sua quisque virili adjuvent."

VI. Hæ Scholæ Dominicales, quarum frequens occurrit mentio in Synodis nostris, respondere ferè videntur catechizationi puerorum, quæ diebus Festis & Dominicis in Parochiis rectè institutis, per Parochos eorumque Vice-Pastores fieri solet, de qua latè actum est supra parte 1. tit. 3. c. 4. Et hæ Scholæ ait Synodus P. I. Mechlin. cap. 2. "non propriè instituantur ad litteras discendas, aut artem scribendi atque legendi, poterit nihilominus juvenus in his doceri postquam in prædictis utrumque instituta fuerit."

VII. Synodus P. II. Mechlin. cap. 5. præcipit ut scholæ Dominicales frequentantes, non tantum doceantur legere & scribere, verum etiam & quidem præcipue, instituantur in rudimentis fidei.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

Hoc Decreto sat ostenditur, quod tempore hujus Synodi, id est, sub initium hujus sæculi, in his Scholis pueri præcipue docerentur legere & scribere; neglecta instructione in rudimentis fidei: quod Synodus reprobat; nequaquam tamen vetat, in utriusque pueros instruat, licet posterius merito tamquam præcipuum majorisque momenti priori præferat.

VIII. Principes nostri in Edicto ad hæc Synodum art. 19. injungunt omnibus suis Officialibus, Magistratibus & vassillis, ut in erigendis Scholis Dominicalibus assistant Episcopis eorumque Deputatis; tum etiam in conquirendis pecuniis necessariis ad dictam erectionem, ac in super pro annuo stipendio Magistrorum & Magistrarum.

Hic rursus non obscure innuitur, in his Scholis non tantum fidei rudimenta, sed & litterarum tradenda esse per Magistros & Magistras.

IX. Quapropter licet præcipuo scopo harum scholarum satisfieri videatur per Pastorum pomeridianas puerorum catechizationes, in Parochiis bene institutis fieri solitas diebus festis & dominicis; nihilominus fatendum est, admodum laudabile esse, & harum Scholarum instituto conformem, si pauperes etiam legere doceantur: cum indubitatum sit, quod magno subsidio esse possit ipsis pauperibus piorum librorum lectio, ut circa Religiosis nostræ mysteria ritè instruantur, & in pietate foveantur.

X. Ut verò optatus fructus Scholarum seu quotidianarum, seu Dominicalium habeatur, prima cura habenda circa Magistros & Magistras; à quorum pietate & capacitate præcipue dependet bona juventutis institutio & instructio.

XI. Imprimis jubentur Magistri & Magistræ in sua admisione emittere professionem fidei Catholicæ juxta formam in Synodis expressam: idque iis in locis ubi est Scholasticus in manibus Scholasticis; alibi verò in manibus Decani Rurales, uti statuit Philippus II. in edicto ad Synodum Cameracensem art. 4.

Idipsum expressit Synodus P. II. Mechliniensis tit. 1. cap. 3. At edictum Principum nostrorum ad hæc Synodum art. 1. jungit Archi-presbytero primarium loci officialium Regium; ut & hic in receptione Professionis fidei interveniens auctoritatem habere videatur. Interim in similibus locorum consuetudines præcipue attendendæ sunt, quemadmodum de juramento Auditorum Ecclesiarum, & Magistrorum Mensæ pauperum unonivinus supra parte 1. tit. 5.

XII. Quantum autem ex assumptione Magistrorum dependeat, non ignorantes Patres Synodi Cameracensis anni 1550. "in virtute sanctæ obedienciæ, & sub interminatione divini iudicii districtè præcipiunt, & inhihent omnibus & singulis Prælatibus & Capitulis ac aliis, qui in Diocesi Cameracensi Magistros & Rectores scholarum recipiunt, seu assumunt, ne quemquam in Magistrum recipiant seu assumant, nisi de cujus vita, integritate, scientia, moribus, ac conversatione plenam habeant notitiam, & qui per verborum dogmatum fermento minimè fuerit confersus."

Consentiunt & reliquæ Synodi, præcipientes, ut non alii in Præceptores assumantur, quàm qui probatæ sunt fidei, vitæ & doctrinæ. Edictum Principum nostrorum ad Synodum Mechliniensem art. 1. nulli concedendam licentiam docendi juventutem decernit, nisi de cujus bona vita, religione, sufficientia & doctrina omnimoda satisfactio habetur.

XIII. Ut autem in Magistrorum admisione securius procedatur, decretum est tum Synodorum, tum Principum Edictis, ut nullus ad docendum pueros sive in Scholis quotidianis, sive Dominicalibus admittatur iis locis ubi est Scholasticus, nisi prævia ejus approbatione. Ità habet Edictum Caroli V. datum Bruxellis die 29. Aprilis anno 1550. & habetur in primo volumine Edictorum Flandriæ lib. 1. Rubricâ 7.

Et in citato Edicto Principum ad Synodum Mechliniensem art. 1. dicitur, nemini licitum esse Scholas tenere ad instruendos.

struendum pueros, five mafculos, five puella, nisi prævia licentia Scholasticæ, si ibidem aliquis fit.

Hoc jus Scholasticæ, non tantum quoad Scholas ordinarias & Parochiales; sed & *Charitatis*, id est, in quibus pauperes gratis docentur, non semel in judicio contradictorio normatum est; ac notanter in Parlamento Parisiensi 23. Jan. 1680. pro Scholasticæ Ambianensi contra ejusdem civitatis Parochos; uti refertur in compilatione quadam Arrestorum cui titulus *Journal des audiences tome 4. lib. 3. c. 4.*

XIV. Ubi verò Scholasticæ deest, juxta citatum Caroli V. Edictum, nullus ad instructionem puerorum admitti potest, nisi prævia admiffione & approbatione primarii Officialis loci, & Parochi Ecclesiæ Parochialis infra cujus fines residere intendit. Edictum verò Principum ad Synodum Mechliniensem *art. 1.* requirit licentiam Archipresbyteri seu Decani Rurales & primarii Officialis.

Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit. 9. cap. 2.* cum præcepisset in pagis institui Scholas, subjungit: "Ludimagister constituatur à Pastore Magistrau & Primarius Parochia Incolis (qui curabunt de necellario stipendio ei provideri) cum consensu Decani Rurales.

XV. Caterum circa jus allumendi, aut præsentandi Magistros aut Magistras Scholarum, Lex fundationis, & consuetudo loci plurimum attendenda sunt; quænammodum de nominatione vel electione Aditorum & Magistrorum Mensæ pauperum alibi notatum est.

XVI. Certum nihilominus est, Scholasticæ tamquam Scholarum Magistro generali curam & superintendentiam Scholarum civitatis & sibi subjectarum primario incumbere.

Hinc passim Synodi præcipiunt, ut Scholæ sæpe visitentur à Scholasticis Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum; ita Synodus P. II. Cameracensis *tit. 2. cap. 2.* Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 20. cap. 4.* vult ut "Scholæ Scholasticis Capitulorum subjectæ, ab iisdem Scholasticis, catechizentur omnes ab Archipresbyteris, vel aliis ab Ordinario deputatis, singulis saltem *semestribus* seriò visitentur.

XVII. Scopus hujus visitationis esse debet, ut sciatur an juvenis ritè instituat, quis sit puerorum in litteraria scientia & scriptoris peritia profectus; an Magistri Magistræ instruendæ, erudiendæque juventuti sedulo se impendant; modum convenientem, prudentiamque in regenda juventute teneant; quos libros pueris prælegant, aut legendos tradant, aut legere permittant; an nulli prælegantur, qui turpe aut obicænum quid contineant, aut bonis moribus, vel fidei Catholice adversum; curentque ut libri legantur, qui pueris pietatem & morum honestatem instillent: qua de re frequenter sunt Synodorum monitiones.

XVIII. Ulterius monet citata Synodus Antverpiensis *cap. 3.* "Habeant autem rationem Ludimagistri, ut tenera ætas in pietate & morum modestia instituat; ideoque ad catechizationem discipulos suos deducant, eosque ibi

existentes in disciplina contineant; & ipsimet præceptores pro capitu discipulorum suorum diebus Sabbathi post meridiem fidei nostræ rudimenta explicant. Diebus Dominicis & Festis ad Missam parochialem, atque ut minimum quater in anno simul ad confessionem Sacramentalem deducant; ipsique magistri bono vitæ suæ exemplo discipulos ad virtutem provocent, & ab omni tabernaculo frequentatione aliisque levitatibus abstineant. Ubi autem consuetudo Laudis B. Mariæ quotidie, vel saltem Sabbato decantandi à Scholasticis intermissa est, quam primùm restituatur.

XIX. Et quidem prima Scholasticæ, aliorumque Scholis superintendentium ac visitantium sollicitudo & studium esse debet, ne tenera ætas in Scholis vel ab ipsi Magistris, vel sociis corrumpatur; sed in Baptismali innocentia, quantum fieri potest, conservetur.

Hunc quoque in finem optant Synodi nostræ, ut "tam in Dominicis, quam in aliis quibuscumque Scholis, masculi à viris, & puellæ à mulieribus tantum instruantur; ubicumque tamen id obtineri non poterit, saltem locis & interfuitibus masculi à puellis separantur. Ità Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 20. cap. 3.* Similiter Synodus Cameracensis anno 1604. *tit. 2. cap. 2.* ait. "Eisdem Scholis in oppidis præsertim & aliis locis celebrioribus simul, non frequentent pueri & puellæ; sed viri masculi, feminae puellis, quantum fieri potest intraendis præsententur.

Cumque Scholasticæ Ambianensis visitando scholas,prehendisset, nonnullos Ludimagistros ad suas scholas admittere puellas; & Ludimagistras admittere mafculos, querela delata ad Parlamentum Parisiense declaratum fuit 5. Jan. 1677. veritatem esse Viris admittere puellas, & feminis admittere mafculos; idque antea non semel judicatum fuerat; uti refertur ad calcem citati capituli libri cui titulus *Journal des Audiences.*

XX. Quamvis Scholarum visitatio præcipue ruralium, & quæ Capitulorum Scholasticis non subsunt, Decano Rurali in Synodi sit commendata, nequaquam Parochis earum cura adempta est, quæ ipsi jure quasi naturali incumbit.

Quin citata Synodus Antverpiensis *cap. 1.* vult ut Scholæ in pagis sint in loco aliquo juxta templum: rationem subjiciens: "Ut tam Præceptores quam discipuli frequentissimè à Pastoribus aliisque visitari, observari, & in religionis nostræ initiis commodius exerceri possint.

Synodus P. I. Cameracensis *tit. De Scholis cap. 5.* "In omnibus Parochiis sint qui doceant primam juventutem, maxime in his, quæ numerosam plebem habent: Pastores, que singulis mensibus diligenter inquirat, quantum proficiat pueritia; idque maxime provideat, ut à teneris annis imbuatur timore, & amore Domini, ne corrumpatur ulla licentiâ, aut doctrinâ, quæ nec religioni, nec bonis moribus respondeat.

12. *Sponsalia clandestina licet illicita, sunt tamen valida.*

13. *Sponsalia impuberum de jure valida sunt.*

14. *A Parochis hoc non admittenda.*

15. *Desponsati insra breve tempus debent ad Matrimonium procedere; & quare?*

16. *Monendi Desponsi ne simul habitent, aut familiarius simul conversentur.*

**I.** Sponsalium sive Sponsalium nomen, tametsi diversimodè præsertim apud Jurisconsultos sumatur; atque subinde Sponsalia de præsentibus, etiam veniant nomine Sponsalium; & ante consummationem Matrimonii, vir & uxor dicantur *Sponsus* & *Sponsa*, nihilominus magis proprie ac frequentius in Legibus ac Canonibus magis proprie ac frequentius in Legibus ac Canonibus accipitur pro Sponsalibus de futuro; neque hodie alia est Sponsalium significatio. Sponsalia enim de præsentibus sunt ipsum Matrimonium ratum non consummatum; nec hodie nomine Sponsalium significari solet; nisi expressè addatur, *De præsentibus*; censeaturque quasi particula *alienans*, quasi nomen *Sponsalium*, ad alienam significationem transferens.

II. Sponsalia proprie dicta, sive de futuro dicuntur in *Canone 3. caus. 30. q. 5. Futurarum nuptiarum promissio.* Et in *L. 1. ff. De Sponsalibus: Mentio & repressio nuptiarum futurarum*; quæ quidem definitio ostendit, tanto Sponsalia differre à nuptiis, quanto spes distat à re ipsa, ut notat Cujacius in recitationibus ad titulum *Codici De Sponsalibus.*

III. Olim apud Romanos ferè semper Sponsalia nuptias præcedebant, uti testatur Jurisconsultus in *L. 2. ff. De Sponsalibus*: "Sponsalia (ait) dicti sunt à spondendo: Nam moris fuit Veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras.

Nec tantum apud Romanos Gentiles, sed & Christianos & Catholicos hæc fuit olim consuetudo, ut nuptiis Sponsalia præmitterentur; quare in Libris Juris Canonici Sponsalia Matrimonio præmitti ubique videmus; ac si supponeretur, hæc tanquam præambula ipsum Matrimonium præcedere debere.

Unde & ipsum Pastorale Mechliniense, ubi de Sacramento Matrimonii Parochos instruere intendit, antea de Sponsalibus agere voluit; monetque: "Matrimonii Sacramentum, iustas ob causas ex *Ecclesiæ consuetudine*, præcedere debent Sponsalia.

IV. Sponsalia hæc tanquam præambula, ac quasi initialia Matrimonii, juxta mentem Ecclesiæ etiam publicè, non clandestinè coram Sacerdote inunda sunt.

Et quidem juxta Manuale Cameracense "Sponsalia à nemine, præterquam à Parocho alterutrius Desponsandorum, vel ejus Vicario seu alio de ipsis vel Ordinarii licentiâ, sunt celebranda.

Id ipsum passim omnia Ritualia insnuant; Parochum ubique Legitimum ac Ordinarium Sponsalium Ministrum coram quo Sponsalia ineunda sunt, supponenda.

V. Notat insuper Rituale Mechliniense, quòd dum Desponsandi sunt diversarum Parochiarum, coram Pastore Sponsæ Sponsalia iniri consuevissent. Merito: tum ob honestatem quamdam, honestius siquidem est, ut Sponsus videatur Sponsam in sua Parochia querere, quam econtra: tum ad vitandas emulationes inter Parochos. Quapropter sive in Sponsalibus sive Matrimonio hæc consuetudo mutari non debet; neque tamen Parochus Sponsæ nimis esse difficilis ad aliud ob rationes permittendum.

VI. Synodus P. I. Cameracensis titulo *De Matrimonio cap. 6.* vult, ut "Sponsalia loco ac tempore fiant commode: id est, non in cenopolis, aut tabernis potatorii: sed in loco sacro: non post dissolutas comotationes: cureturque, ut & Sponsus & Sponsa sobrii, non ebrii, neque aliâs mente capti sponsalia ineant.

*Van Epen Jur. Eccl. P. II.*

Illius Ecclesiæ Manuale magis specificè locum Sponsalium designans, ait: "Non aliter quam publicè, aut alibi, quam in Ecclesiâ, vel sacra Capella, vel cameterio fiant." Addit Mechliniense: *Aut alio loco publico seu honesto loco; minime verò in cauponis.*

Deinde monet Parochum, *Videat, num desponsandi sobrii sint, ac animo benè deliberato.* Nequaquam igitur recentes à potatione, & nugis procatoreis ad sponsalia admittendi.

VII. Requirit insuper Ritualia, ut adsint ad minus duo testes; imò vult Mechliniense, "videat Sacerdos, an adsint, utriusque partis parentes, aut alii eorum nomine, sine quibus temerè procedere non debet.

VIII. Inquirat præterea, an contracturi Catholici sint, scientes nostræ fidei rudimenta, & an Confirmati sint, an sciant interesse aliquod impedimentum Canonicum.

Quia Sponsalia ob connexionem cum Matrimonio res quasi Sacra censeatur, & ad Sacramentum proximè disposita, ac quodammodo ipsius Sacramenti inchoativa ab Ecclesiâ reputantur, volunt Ritualia, ut Sacerdos illa celebraturus, stola seu ornamento Officii sit indutus, uti loquitur Rituale Mechliniense.

Addit deinde idem Rituale, ut ubi de omnibus jam dictis certior factus est, futurum Sponsum interroget: *Penisti huc tua libera voluntate, à nullo coactus nec ulli alii alligatus, ut promittas te ducturum in legitimam uxorem N. quam hic manu tenes?* Sub eadem verborum formula dein Sponsam interrogare debet.

Hoc merito notandum, ut hæc aliæve interrogationes non instituantur aut proponantur modo planè perfunctorio; & tanquam ceremoniales quædam formulæ, ad quas vix attendi solet: sed ita, ut desponsandi ad omnia attentè reddantur, jubenturque seriò singula expendere; præsertim si parochus suspicio aliqua non infundata sit, quod aliqua subsint, quæ ipsa Sponsalia, aut futurum Matrimonium impedire, aut etiam invalidum reddere possent.

IX. Ad interrogata affirmativè respondentibus desponsandis, fidem sibi mutuò faciunt hac formula idiomaticè vulgari expressâ. *Ego in presentia astantium promitto me daturum fidem meam tibi N. quam hic manu teneo. & te ducturum in legitimam uxorem meam, si non obtuleris aliquod Canonicum impedimentum.*

Simili promissione à Sponsa facta subjungit Sacerdos: *Et ego tanquam Minister Ecclesiæ Dei ejus nomine hanc vestram mutuam promissionem accepi & approbo.*

X. Hæc sunt publica ac legitima sponsalia, quæ Matrimonio ob iustas causas ex consuetudine Ecclesiæ præmitti debent censeat Rituale Mechliniense; de quibus tamen nihil Ritualium Romanum; ut fat verisimile sit, consuetudinem præmittendi Sponsalia cum his ceremoniis, non esse univèrsalem.

XI. Interim *iusta causa* istius consuetudinis esse possunt hæc & similes. Ut conjugandi tempore aliquo antequam sint Matrimonium contracturi, nomen suum dent Ecclesiæ seu ejus Ministris; quòd interea de eorum qualitatibus, atque de his quæ in contractu Matrimoniali requiruntur inquiri possit: uti olim pro Baptismo nomen suum dabant Catechumeni; pro absolutione obtinenda pœnitentes; & pro Ordinibus adhuc hodie vult Ecclesiâ ut antea nomen suum dent Candidati. Deinde ut de eorum consensu constet, antequam procedatur ad proclamationes. Denique ut obvietur sponsalibus seu promissionibus clandestinis, unde plurima oriuntur incommoda; quæque propterea multum dissuaderi debent utriusque sexus juventuti.

XII. Porrò quamvis Ritualia, Sponsalia publicè celebrari exoptent, atque clandestina improbent, nequaquam tamen ea invalida aut non obligatoria existimant. Imò manuale Cameracense postquam dixit Sponsalia à nemine præterquam à Parocho alterutrius Desponsandorum vel ejus Vicario, seu alio de ipsis vel Ordinarii licentiâ esse celebranda, immediate subjicit: *Et si aliter facta irrita non sunt.*

Cumque nonnulli crederent ex sponsalibus clandestinis

## TITULUS XII.

### De Sponsalibus & Matrimonio.

#### CAPUT I.

Quomodo Sponsalia contrahenda; & quod circa illa Parochorum Officium?

1. *Sponsalia proprie significant sponsalia de futuro. Horum definitio.*
2. *Olim Matrimonio præmitti solita; & meritiò hodie præmittuntur.*
3. *Sponsalia publicè coram Parocho contrahenda.*

5. *Potius coram Parocho Sponsæ quam Sponsi & quare?*
6. *Quo loco Sponsalia contrahenda; & qualiter desponsandi debeant esse dispositi.*
7. *De testium & consanguineorum presentia in celebratione Sponsalium requisita.*
8. *Quæ per Parochum à Desponsandis inquirenda?*
9. *Formula contrahendorum Sponsalium.*
10. *Consuetudo contrahendi publicè coram Parocho Sponsalia non videtur univèrsalis.*
11. *Consuetudo hæc laudabilis, & meritiò conservanda.*